



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

§. V. An Lex Pontificia, merè declaratoria alicujus veritatis, pendeat ab
acceptatione?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

non acceptatio valida, & licita, hoc est defuetudo prius legitimè completa juxta n. 189. & seq. Nam si eo casu posset licitè illius observantia negligi, vel esset, quòd nulla lex obliget, antequam populus acceptet? vel quòd hæc sit voluntas legislatoris? non primum, ex dict. sed nec secundum; nam hæc præsumptio indefinitè non procedit ex n. 216. ergo. Hinc illicitè non obtemperatur legi, ubi tempus adest, quo urget, si eo solùm titulo, quòd non sit acceptata, negligatur, seu non observetur, quando falsum est, non esse acceptatam, & tunc solùm resistitur, cum urget; nisi adsit rationabilis, & gravis causa excusans in eo casu particulari. Nam in hujus defectu nec adest superioris voluntas legitimè præsumpta, nec defuetudo ritè completa, quæ sola legis cæteris justæ inobservantiam in circumstantijs, quibus aliàs observanda foret, à culpa liberant, ut constat ex dictis. Dixi n. 189. *nos loqui tantùm de casu legis humanae*. Nã Cardenas in tract. ad proposit. prohibitas ab Innocentio XI. disert. 1. in hac ipsa materia tres quæstiones movet circa leges Pontificias, in quibus quandoque sunt tria specialiter observanda circa acceptationem, quando lex illa est declaratoria alicujus veritatis. 2. prohibitoria. 3. pænalis, & non acceptata, nihilominus vim habeat, ut secus agentes peccent? Igitur sit.

§. V.

An Lex Pontificia, merè declaratoria alicujus veritatis, pendeat ab acceptatione?

228. **Q**uæstio hæc movetur occasione decretorum, quibus Pontifex nonnullas propositiones condemnat, & declarat tanquam scandalosas in materia morum, & in eo stat, *an licitum sit in conscientia non acceptare, seu non conformare se illi decreto, in quantum declarat doctrinam in propositionibus condemnatis contentam, esse scandalosam?* Pro negativa stat Cardenas in tr. ad proposit. ab Innocent. XI. condemnatas, disert. 1. n. 22. & apud eum Molin. tom. 2. de just. disputat. 325. Lessius c. 20. dub. 23 n. 192. Idè docet Castropal. tom. 7. tr. 32. D. 4. p. 24. n. 5. Rebell. l. 8. de just. q. 13. §. multò mi-

nus. & multi alij. Procedit autem quæstio pro casu, quo alicui *moralis saltem certitudine constat de tali decreto declaratorio* promulgato Romæ, vel etiam in Provincia; quo posito:

229. Resp. ubi morali certitudine constat de tali decreto declarante, non esse licitum illud *quæ tale* non acceptare, seu *nihilominus in praxi agere contra declaratam veritatem*. nam cui morali certitudine constat declaratio facta per tale decretum, ei morali certitudine constat infallibilis veritas per illud declarata; sed cui morali certitudine constat infallibilis veritas per illud declarata, illi nequit esse licitum, non acceptare, seu nihilominus in praxi agere contra declaratam veritatem; probatur: veritas declarata, est, quòd in praxi, seu usum deducere doctrinam, in propositionibus condemnatis contentam, sit scandalosum; sed hæc veritas, ex vi talis decreti est infallibilis (aliàs Summus Pontifex in eo, quòd toti Ecclesiæ in materia morum proponit, tanquam Christi Vicarius, posset errare) cui autem hæc veritas infallibilis morali certitudine constat, ei nequit esse licitum, non acceptare, seu nihilominus agere contra declaratam veritatem; certum enim est, illicitum esse, facere actum, quem quis morali certitudine novit, esse verè scandalosum. ergo. Hæc de illis decretis, *in quantum declaratoria sunt*. Ex hoc concludes, in his decretis Pontificijs, in quantum declaratoria sunt, non esse locum suspensioni (de qua n. 225.) pendente supplicatione contra ea apud Pontificem; quia, cum Pontifex quæ talis declarat aliquam veritatem declaratione non potente fallere; facta semel declaratione non potest facere, quòd veritas declarata non sit infallibilis, consequenter, quòd non sit illicitum contrarium agere.

§. VI.

An lex Pontificia, in quantum prohibitoria, vel pænalis pendeat ab acceptatione?

230. **Q**uæstio hæc dupliciter intelligi potest de Pontificio decreto prohibente 1. quando prohibitio necessariò consequitur ad declarationem alicujus veritatis; 2. independenter à tali declaratione. Resp. si loquamur de decretis Pontificum non